









XXX

34

DISPUTATIO

De

1610

6

CAUSÆ PRIMÆ

CUM SECUNDIS AD

harum operationes concursu.

Item: De

DISTINCTIONE INTER

velle, non-velle, & nolle,

D. O. M. A.

In Celeberrimâ V Vittebergensi

Academiâ

PRÆSIDE

M. NICOLAO HUNNIO

Marpurgensi: Fac. Phil. Adjuncto

*publicæ ventilationi subiecta*

à

PAULO VVEISS Regio-

montano Boruffo,

*Ad diem 1. Decembr. In Auditorio Philosophico horis matutinis.*

VVITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M. D. CX.











# THESIS I.



Estè inquit Arist. lib. 2. Phys. cap. 3. tex. 38. Δεῖ δὲ αἰεὶ αἴτιον ἐκάστου τὸ ἀκρότατον ζητεῖν. Unde Poëta. Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Item: Disciteq; ô miseri. & rerum cognoscite causas. Operæ pretium igitur & nos faciemus, Si id ipsum hac nostra συμφιλολογία effectum dederimus.

περὶ γνώσεως  
terminorū  
causæ primæ  
& secundæ.

## II.

Principium autem κινῆν, καὶ πρῶτον, omniumq; fermè causarum αἴτιον, DEUS ἀπλῶς certè videtur, cui Arist. haud illepidè consonat; θεὸς inquit, δοκεῖ τὸ αἴτιον πᾶσιν εἶναι καὶ δεχθῆναι lib. λ. Metaph. cap. 7. Et lib. de mundo. Omnia à Deo esse, & per Deum consistere. Cap. 6. Quia Deus est supremus Monarcha mundi, cui omnium causarum prima meritò debetur summa; quippe ejus efficientia ἐν τῷ κτίσειν, συντηρεῖν καὶ συνεργεῖν consistit, & natura instar medij subjicitur ipsi, ita, ut rectè dicatur secundum Arist. Ὁ θεὸς καὶ ἡ φύσις ἕθεν μάτην ποιεῖ.

## III.

Præterea Sumitur & hæc causa ratione τῆς δυνάμεως τῆς θεῆς: Quia hæc optima virtus latissimè, efficacissimeq; supra omnia cœlestia & inferiora sese extendit, adeò ut juxta Scalig. exerc. 77. sect. 5. Omnia quæcunq; aliquid agunt, vi, ac virtute primi agentis agant. Et Thom. 1. p. q. 105. Omnia, inquit, agunt in virtute ipsius Dei. Nec non Arist. Omne agens omninò in virtute primi agit, lib. 7. phys. cap. 1.

## IV.

Cæterùm causæ à superiori pendentes, pro primis, & proximis sub prima, sobriè sic dictæ maximè sunt habendæ. Nam harum vis inquit Thom. de pot. q. 3. art. 7. ita Deo





subordinatur, ut simul propriam agendi potentiam habeant, ut sunt intelligentiæ & corpora cœlestia, quippe Astra homines quoque regunt. Sed DEUS astra regit. Et secundum doctrinam Aristot. immediatè, inquit, movent orbes cœlestes, non quidem ut formæ informantes, sed duntaxat assistentes, propterea hæ causæ respectu operationis per propriam formam, ac intrinsicam principaliter agentis, primæ dicuntur: De quo Aristot. lib. 5. de gen. animal. Cap. 7. & Aver. 7. Metaph. textu 3.

V.

Debetur dum etiam sub his cœlo proxima universalis causa, quæ non tantum per motum & lucem in hæc inferiora agit, ut statuere videtur Arist. lib. 2. de cœl. Tex. 42. Sed etiam peculiare, & occultos quosdam influxus habet, uti id manifestum est in Eclipsium, & aspectuum operationibus.

VI.

Dicuntur autem hæ causæ non ἀπλῶς, sed κατὰ τὴν primæ, quæ scilicet, in certo genere sunt primæ, hoc est, inferioribus prioribus. Nam ratione causæ primæ principalis, & absolutæ sunt secundæ, quia à DEO ut simpliciter prima causa sunt ortæ, Clariss. Vir Jacob. Mart. in exer. Metaph. p. 169.

VII.

Est itaque; Causa prima; 1. Deus & ratione sui & ratione virtutis seu ἐνεργείας; 2. intelligentiæ seu cœlum: Prior tamen ἀπλῶς, posterior κατὰ τὴν.

IX.

Interferamus hisce causarum distinctionem à Domino Jac. Mart. l. 1. Exerc. Met. 4. theor 5. notatâ Causa, inquit, dividitur in physicam & moralem. Physica est, quæ verè & realiter influit in effectum. Hoc modo Deus, dum creat mundum, causa physica dici potest. Causa moraliter efficiens dupliciter sumitur: uno modo dicitur id, quod liberè efficit: quo ab illâ, quæ realiter, & necessariò agit, distinguitur. Alio modo: quæ per se non verè efficit, ita tamen moraliter affecta est, & se gerit, ut ei imputeretur effectus: quomodo causa consulens, aut rogans, aut non-impediens, cum possit, aut debeat, dicitur causa moralis.

Causæ



## IX.

Causæ secundæ sunt, quæ à prima dependent, quarum nulla est actio sine concursu primarum, Arist. 8. Phys. cap. 5.

προγενέσι  
causæ secundæ.

## X.

Secundæ autem hæ causæ instrumenta seu, ut Græci ὄργανα seu ὄργανα ἀΐσια (referente Damasceno) Phil. cap. 9. quoque vocantur.

## XI.

Ne autem instrumenti, hoc loco, significatione abutamur, notandum, dum alij instrumentaliter agere opinantur; quæcunq; ab alio initium actionis trahunt.

## XII.

Distinguamus ergò eum Scoto 4 d. 1. q. 1. Vbi dupliciter causam operari, ait, 1. independenter, sicuti operatur causa prima 2. dependenter, cum per propriam formam, ac intrinsicam causæ interiores agunt.

## XIII.

Sed latet adhuc anguis in herba, quem ut penitus contexamus, distinctis instrumentis actiones instrumenti distingui quoq; necesse est. Vna proinde est actio propria secundum quam hæ causæ non sunt instrumenta, quia virtute sibi communicata agunt, attingentes effectum per formam propriam Arist. 5. Metaph. cap. 11. & 12. Altera, ad quam vi causæ principalis elevatur, adeo, ut suæ speciei non similem effectum, sed instrumento plerumque nobiliorem producat. Hac ratione hæ causæ sunt instrumenta. Quas alias duas actiones hoc loco benè observatas reliquit Ferrus: contra gent. cap. 21.

## XIV.

Sunt & causæ, externæ vel impulsivæ, impellentes principale agens ad effectum moventes, vel instrumentales, ad producendum effectum à principali causa assumptæ.

## XV.

Impulsivæ rursus dispescuntur in προηγμένας ad agendum intus moventes, & προκαταρτηνάς, quæ sunt irritatrices exteriores, efficientem cientes, irritantesve.

A 3

Porro



XVI.

Porro, & instrumentales iterum sunt, vel instrumenta *σύνεργα*, quæ in producendo effectu simul insita quadamvi moventur, vel *παθητικά*, quæ in productione effectus sese haud commovent.

XVII.

Subdividuntur simul, & hæ omnes in instrumenta *ἀναγκάσια*; quibus principalis agens ad ciendum effectum *ἀπλῶς* carere haud potest: ut manus ad pugnandum est necessarium instrumentum: Et *ἐκείσια*, quibus, quum principalis agens carere possit: ex libitu tamen utitur. Sic Deus ad multos producendos effectus utitur ministris & angelis.

XIIX.

Omnia hæc *αἴτια*, tam *κύρια*, quàm *ὀργανικά*, sunt vel *ἐμμεσά*, inter quæ, & effectum ultimum alia intersunt, vel *ἀμεσά* inter quæ & effectum nulla intercedit causa media. Et nominat hæc *Arist. 2. Physic. 3. αἰλιον δύναμιν*.

XIX.

Sic etiam sunt causæ remotæ, inter, quas & effectum ultimum plures intercedunt: Et propinquæ, inter quas & effectum duntaxat una intercedit.

XX.

*προγνωστικ.* *Διωρισμένων δὲ τῶν*, Concursum hoc loco paucis quoque explicabimus. **XXI.**

*concursum.* *Τὸ* Concursum, Græcis *συνδραμὴ* præbet se in causis essentialiter sibi invicem subordinatis, maximè *ἐν τῷ κτίξειν, συντηρεῖν καὶ συνεργεῖν*. Nam sine hoc nihil est inquit *Arist. lib. 4. Phys. text. 133*. Et prima causa facit, ut & faciat causa secunda *Suarez disp. 22, Sect. 3.*

XXII.

Est autem concursum non influentia nova, quæ sit creatio alicuius inhaerentis in Causa secunda, Sed est actio causæ primæ ad extra immediatè ab ejus essentia promaneans, quæ cum actione causæ inferioris concurrit ad eundem terminum, *Secus 4. d. 1. q. 1.*

XXIII.

Partimur & hanc actionem seu influxum in generalem, quatenus scilicet prima per illum generaliter ad omnia omnium *secun.*





secundarum effecta concurrunt: Et specialem, quatenus concurrunt ad effecta naturalem creaturarum actionem excedentia,  
*Fons. lib. 6. Metaph. cap. 2. quest. 5.*

XXIV.

Posterior hæc subdividitur in duo præcipua capita, naturæ scilicet & gratiæ.

XXV.

Gratioso concursu ad aliud forum remisso naturalem rursus dividimus in duos ordines, bonorum, & malorum actuum, ex motivo humano procedentium.

XXVI.

Uterque externus est, quorum prior sese refert ad Secundarum capacitatem & indigentiam, ut actus producantur, producti efficiantur & conserventur, quod aliàs quatuor conditionibus fieri consuevit.

XXVII.

Applicatione causæ Secundæ ad agendum, quod fit in actione reali; adeò, ut *εἶναι* non possit sine efficientia causæ primæ.

XXVIII.

Motu, quo causa prima movet secundam ad agendum, id quod sit qualitates cum primis movendo.

XXIX.

Excitatione virtutis, vel à sola quidem prima proveniente, Secundis tamen subjectivè inexistentis, vel in supernaturalibus actionibus à causa prima secundæ communicatæ, eidem tamen non inhærentis.

XXX.

Determinatione causæ secundæ, vnde sub hac consideratione dici solet, causam secundam determinare concursum primæ ad speciem actionis potius, quàm determinari ab illa, ut loquitur *Thom. in 2. dist. quest. 1. art. 4.*

XXXI.

Ad malos verò actus non concurrunt, nisi *παρὰχωρητικῶς*, in quantum bonum duntaxat respicit, (quis enim turpes illi ascribat?)

XXXII.

Generatim, quatenus totius naturæ ordinem in creatione prima institutum integrum, & incolumem conservat, & fit præ-

1.

2.

3.

4.



præsciendō, providendo, vel conservando naturam, quatenus natura.

XXXIII.

Speciatim, Tripliciter fit vel 1. antecedenter 2. Consequenter 3. concomitanter: 1. prohibendo, avocando, deserendo. 2. Detestando, permittendo, tolerando, metam præscribendo 3. gubernando finem, & puniendo. Sed de his alibi traditur.

XXXIV.

Nec non distinguimus hoc loco, inter actionem ipsam, quæ per se est Causæ primæ, & actionis ἀγαθῆς, quæ non proficiscitur à causa prima, vel quacunque priore: Sed inferiorum, aliquâ, primæ actionem malè determinante, ab ejusq; intentione deflectente.

XXXV.

Rursus, hoc loco probè distinctio inter actionem immanentem, & transeuntem observanda est. Illa est, quæ nullam evidentem mutationem extrinsecus inferre potest. Et duplici modo sumi potest, alia formaliter manens in eadem potentia proxima à qua elicitur, in alio autem subjecto fieri nequit, ut volitio. Quam spiritualement appellat Zabarella, lib. 1. de nat. log. Cap. 8. alia haud in eadem potentia immanens, sed duntaxat in eodem subjecto manens, ut motus gravium, & levium, Soncinus lib. 5. Metaph. q. 36. Hæc transiens, quæ mutationem extrinsecus infert, hoc est, actio transiens, formaliter accepta quæ initium ducit ab agente externo, & recipitur in passum.

XXXVI.

προσχωσῆ  
τ' Vocab.  
mediat. &  
immediat.

Quum ostensum sit, concursus, de quo agimus esse immediatè à prima causa, Vocabulum *mediatè* & *immediatè* hoc loco quoq; explicandum venit.

XXXVII.

Mediatè agere, dicitur id, quod per virtutem sibi communicatam operatur, ve idem patiens distet ab agente, ut cum orbis lunæ lumen sibi à sole immissum in aerem jaculatur, five non distet, ut cum idem orbis prædictum jubar in speram ignis dimittit.

XXXVIII.

Immediatè agere, videtur id, quod agit per virtutem non aliunde sibi communicatam, five patiens immediatum sit agenti, ut in sole, cum lumine per Intermedia corpora trajecto terram illuminat.

Hæc



XXXIX.

Hæc de προγνώσει terminorum, quibus hac in nostra δια-  
σκέψει utimur. Hisce explicatis, & discussis, devenimus jam cer-  
ta linea ad rem ipsam.

XL.

Ex his omnibus, huc usq; commemoratis, & leviter perstri- *καταίσασι,*  
ctis, nostrum erit, punctum controversiæ colligere. Non au-  
tem hic nostrum propositum est, influxum in omnibus conside-  
rare causis: Sed duntaxat in causa efficiente, prima scilicet eaq;  
*αίτιωλως* sic dicta, de qua quaeritur: An prima causa non tantum  
ad causas secundas: sed ad earundem etiam actiones singulas im-  
mediatè influat? Ad quam *σὺν τῷ θεῷ* perpendendam nos accin-  
gemus.

XLI.

Nonnulli fuerunt Theologi Scholastici, & præsertim ad- *ψευδοδοξία.*  
seclæ Durandi, Deum per se & immediatè ad actiones causarum  
secundarum concurrere, negantes, sed has vi propria, cuius a-  
genti in prima naturæ constitutione inditâ, agere, ac per se ef-  
fecta producere; idque ex rationibus sequentibus probare ni-  
tuntur.

1. Quia Deus potuit à se creatis, tribuere, ut sine ipsius con-  
cursu agerent.

2. Quia operatur, medijs scilicet causis secundis.

3. Quia non sit eadem actio, quippe ordo agentium respon-  
det ordini finium. Quapropter ut ejusdem actionis non pos-  
sunt esse duo fermè fines proximi, & perfecti, ita nec duæ effe-  
ctrices causæ.

4. Si causæ secundæ non agerent, nisi actu concurrente pri-  
ma, sequeretur, primam causam operari per secundas, ut per  
inferiores sibi que subjectas, atque ita causas secundas esse instru-  
menta primæ causæ, quod esset absurdum.

5. Quia nulla sufficiente ratione fundari potest necessitas  
hujus operationis; quippe Deus non adhibet supervacaneum, ac  
minimè necessarium concursum.

B

6. Quia



6. Quia de aliquibus rebus creatis necesse est fieri, non esse à Deo immediatè.

7. Si primum agens immediatè cum creatura agente ageret aut eadem numero actione ageret, aut diversa, At non potest eadem nec diversa. Ergo nulla.

8. Quia concursus immediatus primi agentis non est necessarius, ut compleat virtutem secundorum agentium; quippe hæc per virtutes proprias sunt in actu primo, & per se sufficientia ad agendum, & interiores quasi excitant ad agendum. ut Luna, quum elevatur in nostro hemisphærio, movet mare, ut fluat ad nos. cum deprimitur, movet, quò fluat: In voluntarijs autem ipsum agens liberum sese movet ad agendum, alioqui si a primo agente moveretur, non liberè, sed necessariò ageret, more agentium naturalium. Nec denique ut ea determinet ad certam actionem: Siquidem quum naturalia suapte natura determinata sint ad hanc vel illam actionem: saltem pro ratione patientium, quibus applicantur, quo pacto calor indurat lutum, & liquefacit ceram: libera se ipsam determinat, alioqui, aut nulla actio esset defectus, aut prima causa defectuum existeret causa. Ergò nullo modo necessarius immediatus concursus primi agentis cum secundis.

XLII.

Quirum concursus est opinio. *Henric. Gand. l. 14. q. 1. M. Alberti in d. 1. 37. art. 1. Vdalici in sua summa lib. 2.* Nec non in eam venit sententiam *Firminus Lactantius* hoc officium adjutoris Deo minimè convenire asserens.

XLIII.

Vnde *D. August. 5. Gen. ad lit. cap. 20.* sunt inquit, qui arbitrantur, mundum tantummodo ipsum à Deo factum; cætera jam fieri à mundo, sicut ille ordinavit, & jussit: Deum autem ipsum jam nihil operari.

XLIV.

Nec deest sententia *Arist. ad Alexand. in lib. de mundo ultra libri medium*: Minimè, inquit, decet Majestatem Dei ut ipse descendat ad quaslibet etiam vilissimarum creaturarum a-

ctio-



ctiones, & quasi socium earum se in agendo præbeat, & adju-  
torem.

XLV.

Et Philo Alexand. adeò alienum credere videtur à conditio-  
ne primi agentis, quod concurrat cum inferioribus agentibus,  
ut dicerent, solum Deum nec movere, nec moveri; quippe ejus  
actio motus dici non potest ut cætera, quæ, supposito rerum esse  
in mundo, fiunt per causarum secundarum actionis administrati-  
onem.

XLVI.

Irridendum est. *Plinius lib. 2. cap. 7. βλασφημῆς*; agere curam  
humanarum illud, quicquid est summum. Anne tam tristi, at-  
que multiplici ministerio hoc pollui credamus, dubitemus-  
ne?

XLVII.

*Lucretius* sic clamat: Natura videtur Libera continuè Do-  
minis privata superbis Ipsa sua perse sponte omnia Dijs agere ex-  
pers. Nam pro sancta Deum tranquilla pectora pace: Quæ placi-  
dum degunt ævum vitamque serenam. Quis regere immensi  
summam quis habere profunt, Inde manu validas potis est mo-  
derator habeas? Quis pariter cælos omnes convertere, & o-  
mnes ignibus æthereis terras suffire feratur, omnibus inque lo-  
cis esse omni tempore præstò

XLVIII.

Affirmativam reliqui tenent, firmiter asserentes, Deum  
per se, ac immediatè in causas secundas, ac singulas earum acti-  
ones influere, 1. Thom. 1. p. q. 105. art. 5. & 3. contra gent. cap. 7. Sua-  
retz. disp. 22. Metaph. Sect. 1. Fons. lib. 5. Metaph. cap. 2. quest. 9. Col-  
legium conimb. lib. 2. phys. cap. 7. quest. 15. art. 2. Sua retz. in opusculo  
Theolog. lib. 1. cap. 4. Plotinus Ennead 2. lib. 4. cap. 1. Greg. quest. 1. art.  
3. Scotus 2. dist. 1. & 37. quest. 2. Bonavent. dist. 37. art. 1. quest. 1. Hervæus  
de ater. mundi q. 1. Clariss. vir Jacob. Mart. exer. Metaph. lib. 1. pag. 170.

XLIX.

His animadversis, dum prima assertio vacillare, ac quasi  
in aère piscari videtur, eandem rejicimus & profligamus: Hanc  
defendimus, ac probamus.

B 2

Vt er-



argumenta  
κατασκευ-  
ασκά.

L.

Ut ergò ad pugnam tandem, & conflictum descendamus, disertè, plenissimeque decisam eam voluit sententia virorum hoc loco astipulantium, supraque allegatorum, causam primam immediatè in causas secundas influere, quorum argumenta & rationes hasce adducimus.

LI.

Verùm enim verò, dum aquam igni miscere videntur, nul- lum dari influxum ut magis κατὰ τάξιν fiat, & veritas multò plenius elucescat: 1. τὸ ὅτι 2. ὅτι breviter perstringendum esse ducimus.

LII.

Et si verò constaret θέσεως βεβαίωσις duobus distinctis ar- gumentorum generibus, quorum 1. γνωμικὸν id est ex S. scripturæ dictis 2. ἀποδεικτικὸν ex rationibus: attamen prius consultò præ- tereuntes, ad posterius nos conferimus.

LIII.

Rationes vel ἀποδείξεις, quibus ἀδαμαντίνως evincitur, om- ninò dari influxus primi agentis in secundas causas, has da- mus.

LIV.

1. Quum solus Deus sit Ens per essentiam & cætera per partici- pationem (seu quod idem est) quum solus ipse necessariò, & essen- tialiter sit actu existens: cætera verò non existant nisi commu- nicata illis ab eo existentiâ, efficitur, ut cætera omnia neque exi- stentiam accipere in sui productione possint sine aliqua Dei con- cursus, productionis, & conservationis communicatione Thom.

1. p. q. 104. art. 1.

2. Omne Ens pro sui & productione, & conservatione indi- get influxu Dei, Arist. 12. Metaph.

3. Immediatus concursus Dei ad causarum secundarum actio- nes ostendit perfectionem Dei, & creaturarum imperfectio- nem.

4. Quando Deus actiones causarum secundarum inhibuit, tunc, quando Sol non amplius motus est, quando ignis injectos comburere non potuit, non aliunde factum est, quàm quia Deus

ijs



ijs concursum suum subtrahit, quo subtracto, ex se, & sua natura nihil efficere valuit.

5. In causis essentialiter sibi invicem subordinatis semper secundum agens agit in virtute primi, *Arist. Phys. cap. 1. & 8.*

6. Sicuti se res habet ad esse, ita quoq; ad actionem. Ut ergo secunda causa à prima pendet in esse: sic quoq; in operari.

7. Omne quodcunque movetur, ab alio moveri necesse est. *Arist. sparsim.*

8. Nam non minus pendent creatæ animæ ab increata, in suo esse, quàm lumen aëris diurnum à Sole. At luminis existencia pendet à Sole, non duntaxat in fieri, sed etiam in conservari, & operari. Ergo & existencia, & operationes rerum omnium creatarum à Deo *Fons. lib. 5. Metaph. cap. 7. q. 3.*

9. Causa secunda non potest agere, nisi sit, nec potest esse, nisi à prima causa conservetur, *Suarez. in opusc. Theol. lib. 1. cap. 4.*

10. Si res creatæ absq; influxu primæ causæ consisterent: Sequeretur, posse aliquid repugnante licet Dei voluntate manere. Hoc autem concedere nefas est, quum de divina potentia, & dignitate palàm detrahat, *Colleg. Conimb. lib. 2. in Phys. cap. 7. q. 10.*

L V.

Et hæcenus confirmatio nostrarum  $\theta\epsilon\sigma\epsilon\omega\nu$ : Deveniendum  $\acute{\alpha}\nu\lambda\iota\theta\epsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma$  jam est ad confutationem  $\acute{\alpha}\nu\lambda\iota\theta\epsilon\sigma\epsilon\omega\nu$  Durandi, quibus earum  $\psi\epsilon\upsilon\acute{\alpha}\nu\alpha\sigma\kappa\omicron\upsilon\eta$   $\delta\omicron\kappa\eta\kappa\alpha\kappa\omicron\delta\omicron\zeta\iota\alpha$  comprehenditur.

L VI.

Ad objectiones Durandi supra citatas, allegatasve, nobis hoc loco propositas easque palmarias, respondemus.

L VII.

Nulli creaturæ communicari potuisse, ut sine concursu primæ causæ ageret: quemadmodum nec concedi potuit, ut absque illa permaneret. Esset enim, ac non esset creatura; Esset, quia ita ponitur: non esset, quia res creatæ ex natura sua etiam quo ad operationem habent ordinem essentialis dependentiæ à primæ causa, cujus participata similitudo sunt. Atq; ut *Thom. in q. d. pot. quest. 3. art. 7.* ait: quemadmodum instrumento artis, ut securi tribui nequit, ut absq; fabri motione per se, atque ex suamet forma artis opera moliatur, ita neque agenti creato, quod velut in-

B ;

instru-



instrumentum divinæ artis est, donari potuit, ut absq; summi ar-  
tificis influxu actionem ederet.

LIIIX.

*Ad 2. object.*

Neganda est consecutio. Nam eatenus dicitur, Deum agere  
medijs causis secundis: quatenus unà cum illis operatur: sed libe-  
rè, adeò, ut & sine ijsdem operari valeat. Quod tamen non im-  
pedit, quo minus ipse & omnibus agentibus intimè præsens sit,  
& earum actiones immediatè attingat. Itaq; inficiandum est, e-  
am causam per media in effectum infl. entem ad medias illas  
causas earumq; actiones immediatè concurrere.

LIX.

*Ad 4. object.*

Sciendum est, Dogma fuisse Platicum, causas secundas pro-  
priè, ac simpliciter causas non esse: sed instrumenta primæ causæ  
duntaxat, apud *Simplicium hoc in lib. ad tex. 29. Ficinum lib. 2. de immor-  
talit. anime cap. 11. & Bessarionem lib. 9. contra calumniatorem Platonis c. 2.*  
Sed respondebit, posse quidem eas appellari aliquo modo instru-  
menta: quatenus earum interventu Deus agit, Cæterùm si in-  
strumentum propriè sumatur pro eo, quod aliquam agendi po-  
tentiam in sese subjectivè non possidet, instrumenta haud esse po-  
nimus.

LX.

*Ad 7. object.*

Actionem illam non excedere causarum secundarum, si cõ-  
junctio earum cum prima præsupponatur. Sin verò secundæ so-  
læ considerentur, omninò excedere Deum & causas secundas  
non ejusdem esse ordinis; essentialiter sibi mutuò subordinari.  
Quamvis ergò à pluribus agentibus ejusdem ordinis, una actio  
provenire haud possit, produci tamen potest à pluribus perfectè  
agentibus subordinatis. Quamvis una actio nequeat habere plu-  
res fines internos perfectos, quia hujusmodi finis est idem cum  
forma, quæ acquiritur: posse tamen habere plures externos, tota-  
les etiam non subordinatos; *Collegium Conimb lib. 2. cap. 3. quest. 12.*  
Posse, inquam, omninò plures fines essentialiter subordinatos,  
ad motionem ejusdem agentis concurrere immediatè, quidni  
ergò possunt etiam agentis subordinata ad unam actionem im-  
mediatè concurrere.

LXI.

*Ad 8. object.*

Quod verò attinet ultimum argumentum Durandi: Respon-  
demus, Nullam creaturam esse in actu primo ad agendum, nisi  
comple-



complente primâ ejus agendi virtutem. Nam ut inferiora creata calor scilicet indiget luminis concursu ad species producendas pariter & suprema, homo scilicet. Siquidem & par est omnium secundarum respectu primæ ratio: *Arist. 3. de an. c. 3. 2. 18.* asserit, colores indigere ex parte sui lumine externo, ut sint in actu primo visibiles. Eodemque modo res materiales intelligibiles indigere lumine interno intellectus agentis, ut sint in actu primo intelligibiles. Nam causæ primæ influxus omnino est necessarius, ut inferiorum virtutem cõpleat actionem. Nam si creatura operetur, id est, in actu secundo sit, necessarius est, Dei concursus, ut ejus virtus operans cõpleatur. Postremò quia, ut demus, agentia naturalia moveri omnia à primo ad agendum certò, quæ libera sunt, dominium habent suorum actuum, supposito etiam generali concursu primi agentis, & licet ad bonum moveri ab eo possunt, tamen non solum non cogi, nec necessitari possunt; Sed ne moveri quidem. Quod & naturalis ratio ex divina bonitate desumpta, & sacræ literæ nos docent.

LXII.

Declaravimus hætenus *ἂν ἴσται*, an sit, & quid sit concursus Dei cum causis secundis; nunc sup. rest. ut exponamus *ἂν πῶς*, quo modo Deus tribuat, vel offerat hunc concursum causis secundis, simulque declarabitur, quomodo causa prima & secunda conveniant, & jungantur ad eundem effectum, & eandem actionem efficiendam.

LXIII.

*Ferrariensis* putat, Deum sola immediatione virtutis, non verò suppositi, concurrere, quia omnino impossibile est duas causas efficientes ad unius effectus productionem concurrere immediatione suppositi, cum hac ratione sequeretur, vel alterutra harum causarum esse penitus inutilem, & supervacaneam, vel dari penetrationem dimensionum, quorum utrumque absurdum est. Et verò substantiam creatam effectum ratione suppositi proximè attingere extra omnem positum est controversiam.

LXIV.

Si haberet locum, primam immediatè immediatione virtutis, & immediatione suppositi ad unius effectus productionem concurrere; sequi Deum esse causam peccati.

65. Si



## LXV.

Si id ostendatur demonstreturq; Deum ad actiones secundarum causarum immediatè concurrere, causæ secundæ in productione nihil agerent, sed prima tanquam per instrumenta merè passiva effectum produceret. *Durand. lib. 2. d. 1. q. 5.*

## LXVI.

Hoc enim supposito, facilè explicatur, quomodo causa immediatè immediatione virtutis & suppositi præbeat concursum suum causis secundis.

## LXVII.

Verùm opinione hac rejecta censemus; Deum utraque immediatione ad actiones causarum secundarum concurrere. Immediatione virtutis quidem partim, quia vim agendi non aliunde communicatam, sed ex se ipso habet, inq; eo ab inferioribus singulis distinguitur. Quod ex propria virtute; Entia creata verò ex virtute causæ primæ ad productionem effectus concurrant, partim quia prima causa immediatè virtute propria effectum producit, & omnem virtutem mediam, cujus respectu ad agendum concurrere possit, excludit.

## LXVIII.

Immediatione suppositi Deus agit, quia nusquam operatur, nisi ubi essentialiter quoq; sit præsens. Unde *Greg. ait super Cant: Canti: Deus communi modo inest singulis rebus potentia, præsentia, & essentia sua.*

## LXIX.

Ante omnia hic distinguendum est, inter actionem ipsam, & actionis ἀπαξίαν. Nam tria sunt cujuslibet actionis humanæ quæ est actio, principia. Universale, quod Deus, commune, quod natura, & particulare, quod voluntas hominis.

## LXX.

Omnia hæc tria semper distinctè cooperantur: tamen, ita, ut Universale universaliter agat, ἀπαξία verò actionis non potest adscribi superioribus causis, sed soli particulari, quippe cujus est, actionem, quæ in se, & ratione causæ primæ indifferens, determinare, ut sit bona, vel mala. Ad actiones quatenus actiones prima concurrunt, non verò ad vitia harum actionum. Nam  
pecca-



peccatum non est actio ipsa, sed est vitium seu *ἀρετή* actionis.  
Huc Theologi talem efformarunt Canonem: Quando plures  
causæ concurrunt ad aliquam actionem, in qua est malignitas,  
omnes quidem sunt causæ illius actionis, non tamen malignita-  
tis, sed illa solum, quæ in agendo deficit à sua regula.

LXXI.

Nam non habent hæc vitia causas efficientes: sed deficientes.  
Ad causas enim prima non duntaxat movendo secundarum acti-  
ones concurrunt: Sed etiam cum iisdem efficaciter agendo, ut po-  
te ad actiones ipsas, non verò ad actionis deformitatem. Sic e-  
nim administrat omnia, à se creata, ut ipse etiam proprios agere,  
& motus exercere sinat *August. lib. 7. de Civ. D. cap. 30. & lib. 22.  
cap. 7.*

LXXII.

Huc Spectat & *V. Synodus art. 4.* inter blasphemias Theodo-  
ri refertur, quod dixerit, disposuisse Deum, ut homines peccarent,  
quæ ita eis expediebat.

LXXIII.

Patres hanc veritatem confirmant: *Leo Papa primus. serm. 16.  
de pass. Domini* tractansve illud *Acto. 4.* convenerunt in civitate  
ista &c. Num quid iniquitas (inquit) persequentium Christum  
ex Dei est orta consilio? Et illud facinus, quod omni majus est  
crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc pla-  
nè de divina justitia sentiendum est, quia multum diversum,  
multumque contrarium est id quod in Judæorum malignitate  
præcognitum, & quod in Christo est passione dispositum. Et  
in *9. Epist. ad Petrum Antiochen:* credo prædestinasse solummodo bo-  
na, præscivisse autem bona, malaque.

LXXIV.

*Fulgentius 1. ad Monim.* Deus licet autor non sit malarum co-  
gitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum, & de ma-  
lo opere cujuslibet mali haud desinit ipse operari bonum: per-  
missive hæc omnia intelligenda sunt, non verò effective. Græci  
Patres triplicem providentiæ divinæ vel speciem vel modum  
constituunt, *πρόνοια καὶ οἰκονομία*, omnes omninò res creatu-  
rasve



rasve attinentem 2. πρόνοιαν καὶ εὐδοκίαν res duntaxat bonas moderantem 3. πρόνοιαν κατὰ παραχώρησιν malas actiones (ut supra) in quantum malas respicientem.

LXXV.

In summa, res in exemplis fit semper clarior Quandoquidem fur proximo bona sua surripit, contractio bonorum actio est, ad quam causa prima immediatè concurrat, ita quidem, ut sine ipsa ne digitum quidem movere possit quod verò surripiat bona aliena, vitium illius actionis est, quod causam debet non efficientem, sed deficientem quia fur contra principium illud generale. Vni cuiq; suum non tribuit *Thom. part. 1. q. 105. art. 5. Fons. lib. 5. Metaph. cap. 2 q. 9. Suarez Tomo. 1. disp. 22. Sect. 1. Co. leg. Conimb. 2. Physic. cap. 7. q. 14.*

LXXVI.

Opinionem itaque absurdam esse statuimus, quæ causis secundis agentibus vim aliquam à prima in actione communicari & nullam subjective inesse statuit: idque sequentia dabit.

LXXVII

1. Si causæ secundæ nulla vim agendi haberent, argueretur Deus imperfectionis, qui vim agendi causis secundis non communicaverit: Quum tamen omne agens perfectum, si potest, vim agendi, & sibi simile producendi effectui largiatur.

2. Dum omnis virtus agendi divinitus inferioribus hisce cōmunicata esset planè frustra ea, nisi per eam operarentur, quin immò omnes res creatæ videntur frustra esse, si propria sua operatione communicata destituerentur: Quum omnes res sint propter operationem suam.

3. Nam semper imperfectius est propter perfectius, sic materia est propter formam forma, quæ est actus primus est propter operationem, tanquam actum secundum. Atque singula hæc frustra esse, omninò absurdum est. Quum Deus, & natura nihil faciunt frustra. Ergo causas secundas haud operari æquè absurdum est.

4. Distinguiamus quoque inter res materiatas & animatas, quæ



quæ duntaxat petuntur à posteriori, ex operationibus videlicet, quum formæ plurimarum rerum nos lateant, scilicet, sparsim.

5. Testatur omnium rerum Magistra, experientia, Ignem urere, Solem illuminare, Vinum Calefacere Quare causæ secundæ revera aliquid agunt; Vnde etiam Thom. lib. 2. 1. q. 1. art. 4. Subtrahitur vis causis Secundis, agendi, quippe sensibus contraria. Quidni posset Deus eadem potentiâ absolutâ, quâ ex nihilo solus omnia creavit, & hodie absque concursu secundarum causarum, si veller, sed ob summam bonitatem non vult, verum vim agendi etiam secundis causis communicavit, ut & hæc ad productionem effectus concurrere possent, Fons. lib. 5. Metaph. cap. 2. q. 7. Sect. 2. Sua rez. disp. 18. Sect. 1. Conimb. lib. 2. phys. cap. 7. q. 11.

Σ Τ Μ Π Ε Ρ Α Σ Μ Α

*Causa prima qua nvis ad causarum secundarum actionem perficiendam concurrat duplici modo: Vno virtutem ac vim agendi cuius secundæ causæ increando eamque conservando & vegetando: altero: ad quamvis operationem actualiter concurrando.*

THESIS I.

*De Discrimine inter velle, non velle & nolle.*

Humanum ingenium, semper curiositatis alat, quid ni alit? hoc ferè seculo in certaminibus adeò comparatum est, ad seclas malos pessimos fovere errores, ut sanè magis de sua fama estimationeque, quam de Dei honore solliciti sint. Vnde & illud oritur, quod Ethnicus Philosophus noster alicubi ait: ἐνάς ἀτόπος δόξενται ἢ ἄλλα συμβαίνει. Quod sanè in omnibus materijs, disciplinis; & artibus fieri consuevit, uti paulò post ulterius ostendetur.

II.

Quum autem in homine intellectui, qui summus animæ rationalis gradus, sapientiam & prudentiâ complectens, adjungitur voluntas; de actione ipsius controversatur, an inter velle & nolle tertium detur non-velle? Cujus conflictus rationem



(Methodo consveta) ξύν τῳ θεῷ ἐν παρόντι παχυλῶς μὲν, ῥήτῳ δὲ καὶ σαφῶς prælibabimus.

III.

Calviniani tertiam Speciem recipere nolunt, eamque adeo cum secunda confundunt, ut, quicquid sit, id fieri aut Deo volente aut nolente, aut ment.

IV.

Nos verò primam, & secundam haud duntaxat, sed etiam tertiam speciem, diversitatis actuum gratia maximè necessariam esse, firmiter docemus, quippe Philosophus *Arist.* horum actuum diversitatem ipsemet agnovit *lib. 3. Ethic. cap. 1.* ubi inter ἐκείσιον, & inter ἀκείσιον, vel βίαιον intermedium quoddam ponit. Cuius sententiæ & nos hoc loco adhærescemus.

V.

Ut ergò, & hic sanior obtineat philosophia, posito puncto controversiæ, πρόγνωσιν terminorum, quibus hoc loco utimur, singulatim enodandam esse ducimus.

VI.

Velle est, rem quandam ex interno voluntatis principio approbare, eligere, & suscipere, ut & *Arist. lib. 3. Ethic. cap. 1.* ἐκείσιον ἢ ἄρχῃ ἐν αὐτῷ εἰδῶσι τῆ κατέκασα, ἐν οἷς ἢ πρᾶξις, ἀκείσιον, ἢ ἀρχῃ ἐξωθεν τοιαύτη ἔσται, ἐν ἣ μὴδὲν συμβάλλεται ὁ πρᾶτῶν καὶ ὁ παχῶν.

VII.

Nolle est rem ex interno voluntatis principio, & κατ' αὐτὸ ἀversarij, viribusque omnibus propellere, & tamen ab externo principio fortiori ad eandem suscipiendam cogi, *ibidem Arist.* ἀπλῶς δὲ, inquit ἴσως ἀκούσια αὐδὲς γὰρ ἀν ἔλοιτο κατ' αὐτὸ τῶν ποιούμιον οὐδέν. Et: δοκεῖ δὲ ἀκούσια εἶναι τὰ βία, ἢ δι' ἀγνοίαν γινόμενα. Exemplum quoque patet ex *lib. Maccabæ*: Vbi Tyrannus Antiochus per lictores, & carnifices suos summavi pios Judæos omninò repugnantem, ad esum carnis suillæ & sacrificia Bacchi pertrahebat.

IX.

Non velle est, rem quidem κατ' αὐτὸ ἀversari, eam tamen non exerta vi impedire, sed certas ob causas permittere, ut, si abesset, actio ista nūquam susciperetur. Unde *Arist. ibi*, ejusmodi actiones

μικτὰς



μικτὰς appellat: *μικτὰι*, inquit, *μὲν ἐν εἰσὶν αἱ τοιαῦται πράξεις*  
*ἐπίκασσι δὲ μᾶλλον ἐκείνοις, αἴρεται γὰρ εἰσιν, ὅτε πράττονται, quæ*  
neq; simpliciter sunt voluntariæ, neque prorsus sunt etiam invitæ:  
Sed ex voluntario, & involuntario quasi mixtæ. Hoc ipsum por-  
τὸ παραδειγματικῶς demonstrabimus.

IX.

Quando viator magnam pecuniæ summam pro redimenda  
vita latronibus pollicetur: Equidem haud quadrat dicere, quod  
jaclurâ pecuniæ omninò velit, aut quòd omninò nolit: sed quòd  
non velit quidem *καθ' αὐτὸ*: Interim tamen ad evitandam mor-  
tem & vitam liberandam ratione finis eam velit: Quemadmo-  
dum etiam pius Magistratus vult bonis benè esse cùm iisdem ma-  
li quid inferitur. Magistratus hoc non vult improbando, non ef-  
ficaciter prohibendo: Et sic in actum erumpitur. Quæ sanè  
actio semper, ac propriè sic dicta *ἀπλῶς* est mixta.

X.

Seligunt equidem haud inviti distinctionem huic loco ma-  
ximè accommodatam Theologi, inter voluntatem Theoreticam  
scilicet & practicam. Illa actio intellectus interna, quæ foris  
quidem res percipit, & vel approbat vel improbat, non tamen ad  
externas res se movet aut commover: hoc est, res approbatas non  
promovet: improbatas efficaciter non impedit. Hæc *practica*  
non tantum ea quæ non vult, improbat, aut quæ vult, probat, sed  
insuper approbata efficaciter promovet; improbata efficaciter re-  
primit, atque impedit. Cùm ergò de practicâ voluntate propriè  
sermo sit; affirmamus: inter velle practicum, & nolle itidem  
practicum medium quid intercedere, quo etsi quidpiam nec pro-  
moveatur, neque vi impediatur, attamen, vel maximè improbe-  
tur; id quod non-velle dici consuevit. *Vid. And. Schafman. de pecc.*  
*caus. lib. 1. pag. 300.*

XI.

Cæterùm Principia, & adjuncta actionum hominis quinq;  
que aliàs recenset *Arist. lib. 3. Eth. cap. 1. ἐκείσιον, ἀκείσιον, προαίρεσιν,*  
*βέλοσιν, & tandem ἐγλήσιν.*

XII.

Optima habetur distinctio inter *ἐγλήσιν* & *προαίρεσιν*, quòd  
illa



illa mentis, hæc verò voluntatis, illa dubia, hæc certa, illa præcedat hanc, hæc verò illam sequatur.

XIII.

Annotatum & à *Bonaventura in compend. Theol. veritatis cap. 49. tex. 7.* potentias animæ motivas dividi, in imperatricem, consiliatricem, & effectivam.

XIV.

Terminis his perstrictis, ad rem ipsam jam accessum faciemus, eandemque, ut eò commodiùs fieri possit, an detur discrimen & quo modo, explicabimus.

XV.

Constat, quod inter velle, & nolle discrimen quidem quoddam concedunt, sed tertiam speciem, seu potius modum, præ reliquis maximè necessarium, sunt, qui planè repudient, rejiciantque.

XVI.

Quem errorem, ut pluribus conteramus, fundamenta, pro sententia orthodoxâ, tertiam speciem  $\tau\delta$  non velle asserente, adducemus.

XVII.

Quia videntur quædam actiones, quarum potestatem habemus, quæ neque purè sunt voluntariæ: neque purè involuntariæ: sed ex utrisque juxta *Arist. Eth. cap. 1.* mixtæ promanantes. Quare veritas ipsa hoc loco reclamatur, docens, tertiam speciem diversitatis actuum omninò dari.

XVIII.

Nec illepidè hoc loco quoque consonat *August. in Enchirid. c. 100.* Non enim, sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo possit facere bonum. Unde iterum apparet, in humanis actionibus  $\epsilon\upsilon\gamma\sigma\iota\omicron\nu$ , &  $\alpha\upsilon\gamma\sigma\iota\omicron\nu$  contraria esse, non  $\alpha\upsilon\sigma\omicron\upsilon$  sed  $\epsilon\mu\epsilon\sigma\upsilon$ , medium admittentia. Ideoq; discrimen perfectum inter velle, & non velle & nolle elucescit.

XIX.

Rectè proindè, inquam, distinguimus, inter velle non velle, & nolle. Nolle non nudam duntaxat voluntatis aversionem deno-



denotat: Sed simul violentum, impediendi conatum & studium:  
Non velle simpliciter continet volitionis negativam, quâ eâ,  
quæ non volumus etsi improbamus: tamen aperta vi non pro-  
hibemus. Non volo, quando rem non fugio, Nolo, cum  
non modò improbo, sed viribus etiam omnibus repello & im-  
pedio.

X'X.

Præterea velle & nolle sunt contraria, velle, & non velle  
sunt privantia, Illa contrariè, hæc privativè opposita. Nolle  
itaque actus est: non velle absentia, seu privatio actus verius,  
quàm actio.

Ε Π ΕΙ Σ Α Γ Μ Α.

*Inter velle, non velle, & nolle datur perfe-  
ctum & omnibus numeris absolutum discrimen.*

Iehovæ soli gloria in  
æternum.





Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text.

Third block of faint, illegible text.

gloriam  
RECTUM





Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011



SB

VD17


Retrokonv.,











B.I.G.

Farbkarte #13

x  
 1610 6  
 34  
 TATIO  
 PRIMÆ  
 NDIS AD  
 nes concursu.  
 De  
 ONE INTER  
 lle, & nolle,  
 M. A.  
 V Vittebergensi  
 miã  
 I D E  
 HUNNIO  
 Phil. Adjuncto  
 tioni subjecta  
 E I S S Regio  
 orusso,  
 Philosophico horis matutinis.  
 E R G Æ  
 GORMANNI,  
 M. D. CX.

